

*et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam misterium iam operatur iniquitatis, et quasi consuleretur, quid Antichristi detineret adventum, subiecit continuo: tantum ut, qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*¹⁾. Quod est dicere: tandiu illius differetur et impiedetur adventus, donec stabit Romanum imperium. Cum autem aliud^{a)} de medio fuerit (id est multorum fuerit, non unius; quod enim de medio est, multorum est), id est cum Romanum imperium esse desierit, quid sequetur? *Tunc revelabitur ille iniquus*²⁾. Quid ergo? Aut Romanum imperium desiisse^{b)} dicemus vel tecum Antichristum natum veraciter astruamus, aut apostolum mentitum probabimus, si iuxta^{c)} tuam assertionem Antichristum revelatum dixerimus, cum Romanum imperium nondum destitisse videamus. Sed absit, ut apostolus mentiretur, in quo Christus veraciter loquebatur. *An experimentum, inquit, queritis eius, qui in me loquitur Christus?*³⁾ Cum ergo Romanum imperium maneat ac per hoc apostolus verum dicat, quid^{d)} aliud^{e)} restat, nisi ut, quod sentit ecclesia catholica, sentias^{f)} et hominem peccati, filium perditionis^{g)} nondum revelatum intelligas?

Si vero Romanum imperium destitisse probaveris, quanta^{h)} sequaturⁱ⁾ absurditas, mox videbis. An ignoras, quod omnes fere civitates Italiae preter admodum paucas et omnis dignitas et potentia Teutonicorum Romanorum imperatori^{k)} obediunt? Sed et ipsa Roma, caput quondam orbis et domina, cuius olim mundus omnis legibus serviebat, licet ex more suo sectiones aliquorum et turbationes sustineat, ex maxima tamen parte sui permanet indivisa, non diversis imperatoribus, sed uni subiecta. Nec ideo diminutum imperium estimates vel defecisse putes, quod pseudo sibi papam non Romanorum generalitas, sed paucorum Romanorum cupiditas ordinavit; neque novum tibi videatur, quod quasi sui detrimentum Romana res publica^{l)} patitur, quoniam cum retro preteritis seculis^{m)} gentibus omnibus dominari solita fuerit, semper tamen aliquorum motus sustinuit et factionibus laboravit.

a) aliut Hs. b) desisse Hs. c) si iuxta] si iuxta Hs. d) qd Hs.
e) aliut Hs. f) sentiast Hs. g) perditionis Hs. h) t über durch-
gestrichenem Buchstaben Hs. i) q korrr. aus Oberlänge Hs. k) folgt durch-
gestrichenes o Hs. l) pulica Hs. m) seculi Hs.

¹⁾ 2. Thess. 2, 6—7.

²⁾ 2. Thess. 2, 8.

³⁾ 2. Cor. 13, 3.